



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,  
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte  
Orandi & meditandi methodo**

**Balsamo, Ignazio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1612**

Cap. VIII. De oratione mixta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

Sunt igitur ea quæ diximus quoad gratiarum actionem, Petitionem & Oblationem pro nobis & alijs faciēda mentaliter. Nam de hac orationis specie nobis modò sermo est. Continentque eadem elegantissimum modum, in oratione longo tempore perseverandi.

Notandum quoque hæc agenda esse certis horis diei, vt, statim post matutinam meditationem, vel sub sacrificio Missæ, vel alio tempore congruo, idque seruato conuenienti ordine, ne quis hæreat, aut tædio affectus propositi sui obliuiscatur; Nam posteaquam exercitium hoc aliquādiu continuauerit & quasi in cōsuetudinem verterit, nullam postea amplius experiētur difficultatem.

*Ea quæ de oratione mentali restant, paulò post, cum de colloquio agemus, tradentur.*

---

DE ORATIONE MIXTA.

CAP. VIII.

ORATIO MIXTA ea proprie  
dicitur



dicitur ( quemadmodum supra explicuimus ) quando partim mentaliter partim vocaliter oramus: vt si post mentalem pro animabus fidelium defunctorum precem, vocalem orationem *Fidelium* quis subiungat. Hic autem orandi modus, meditatione siue Oratione mentis facilius est: adeoque vsurpari potest, quoties quis ad meditandum, propter quandam animi vel corporis indispositionem, ineptus est.

Porro hac orandi methodo vti quis potest, *Primo* circa præcepta Dei & Ecclesiæ. Exempli causa; Potest primum decalogi præceptum assumere, & secum expendere, quam malè hæctenus illud seruauerit, reducendo sibi in memoriam peccata quæ contra præceptum illud admisit, illorumque veniam ac dimissionem mentaliter postulare, ac deinde orationem Dominicam vocaliter subiungere: similiq; methodo in reliquis præceptis vti.

2. Circa septem peccata mortalia; vbi eodem modo quoad singula procedet,

G

cedet,



cedet, atque à primo superbiæ peccato ordietur, vbi posteaquam peccata, quæ in hoc genere designauit, paulisper sibi in mentem redegerit, eorumque veniam à Deo precatus fuerit, Oratione Dominica vocaliter adiecta, precem suam cōcludet.

3. Circa tres animæ facultates, memoriam, intellectum & voluntatem, in quibus eandem methodum mentaliter & vocaliter orandi adhibebit, vbi prius secum reuoluerit; Cur illi Deus (exempli gratia) memoriam donauerit, & peccata quæ admisit, non vtendo illa ad finem, ad quem Deus eam largitus est. Simili modo fiet de intellectu & volūtate.

4. Circa quinque sensus corporis, visum, auditum, gustum, odoratum & tactum.

5. Eadē methodo Religiosus quilibet vtipotest circa Regulas Ordinis atque officij sui: & quilibet alius poterit eandem non minus vtiliter quam faciliter statui & officio suo applicare.

*Aliud Orationis huius mixtæ exemplum*



*plum infra reperies cap. 34. remedio septimo aduersus distractiones.*

## D E O R A T I O N E V O C A L I.

## C A P. I X.

**O**RATIO *vocalis* duplex est, vna publica, id est, horæ canonicæ, & psalmodiæ: altera priuata, qualis est, officium B. Virginis, Rosarium, Corona, &c. Ad primam Ecclesiastici & Religiosi omnes obligantur: altera vt plurimum est deuotionis, nec quenquam obligat, nisi ratione poenitentia à confessario iniunctæ, vel statuti, vel voti ad eam teneatur. Ad vtramque adferre necesse est debitam præparationem, atque attentionem, tria hæc obseruando.

1. Vt, priusquam orans illam auspicietur, semetipsum prius paulisper ingrediatur, & colligat, atque cor ad Deum eleuando, ei opus bonum quod aggreditur, ad purum ipsius honorem & gloriam offerat, & roget, vt sibi auxilio esse, mentemque in se vno stabilire velit. Quem